IOHANNES WERD

Österreich (Wien), 1496 Seite 162r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=7271
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



sicut in demonibus est dolor de penitentia sic etiam est in eis timor de futuro. Et Augustinus intelligitur de timore dei cohibente a peccato non enim desistunt peccare propter timorem dei. Ad 3m Dolere de malo est bonum. Unde est de malo culpe attestatur enim bona voluntas. Dolere autem de malo pene vel de malo culpe propter penam attestatur bona natura cui malum pene opponitur. Unde cum demon sit perverse voluntatis non dolet de malo culpe ymo si dolet de malo culpe tamen faceret propter malum pene.

Queritur Quis dolor sit principalis et essentialis demonum. Et quo dolent de hiis qui salvantur et dolent quia privantur beatitudine quam natura appetunt cum sit saciativa totius desiderii. Et dolent quia cohibentur in multis et quia detinentur in multis locis ubi non vellent esse. Dicendum quod quia premium essentialiter attenditur penes divinam essentiam. Unde et dolor essentialis est de privatione tanti boni et beatitudinis. Sed dicitur Quis dolor augetur usque in diem iudicii. Dicendum cum textu q. 63 ar. 2 ad 3m quod Angelorum gaudium ratione ministerii ipsorum augebitur usque ad diem iudicii. Unde quia ex demonum exercitio non dampnatur quis finaliter crescit eis magna pena. Et iste dolor eorum augebitur usque ad diem iudicii.

Dicitur Vel in demonibus possit esse dolor contritionis et attritionis. Et videtur quod dolor attritionis dicitur enim Sapientie quod in persona dampnatorum Erravimus a via veritatis et iustitie etc. Hec dicent penitentiam agentes. Item in ipsis est vermis conscientie secundum illud vermis eorum non extinguetur. Videtur autem hoc sufficere ad dolorem attritionis. Dicendum quod diabolus non potest dolere de malo culpe propter se sed propter penam. Dolor autem attritionis est de malo culpe propter se inquantum scilicet est offensa dei. Et multomagis dolor contritionis.

Dicitur Vel in demonibus cum dolore possit esse gaudium. Et est difficile dicendum. Et d. 6 cum b. Augustinus dicit quod sit gaudium in ipsis. Et Arguitur quod non. Nam dolor essentialis ipsorum est dolor summus et amor quam fuit dolor Christi tempore passionis ut d. 6 in 3 p. dicit. Sed dicimus quod miraculose in Christo cum summo gaudio fuit dolor. Dicendum quod illud argumentum nichil concludit quia non dicimus quod sit summum gaudium cum summo dolore in demonibus ad quod requiritur miraculum sicut in Christo fuit. Item Arguitur. Secundum primum sermonem Tristicia si sit vehemens non solum contrariam leticiam impedit sed etiam quecumque contingentem. Unde si esset in eis leticia aliqua sublevaretur eorum dolor. Dico quod Philosophus loquitur de viatoribus. Nondum tamen quod in primo demone duplex dolor invenitur. Primus quia volebat ceteris preferri in statu innocentie. Unde ex hoc quod nunc omnibus beatis angelis et infima est subiectus adest ei magnus dolor quamvis adhuc vellet preesse omnibus. Alius dolor est de quo apocalipsis dicitur quod pugnabat draco cum michaele et quod non est inventus amplius eorum locus in celo. Et quia nunc locati sunt in inferno eis alius dolor accrescit.

IIII

Aer iste sit locus penalis demonum

Et Arguitur quod non. Demon est natura spiritualis natura autem spiritualis non afficitur loco ergo nullus locus est demonibus penalis. 2o Peccatum hominis non est gravius quam peccatum demonis sed locus penalis hominis est inferius ergo multomagis demonis. Ergo non aer caliginosus. 3o Demones puniuntur pena ignis sed in aere caliginoso non est ignis ergo aer caliginosus non est locus pene demonum. Contra est quod Augustinus dicit 4 super Genesim ad litteram quod aer caliginosus est quasi carcer demonibus usque ad tempus iudicii. Hic queritur de loco penali. Et in corpore Articuli primo supplet tertio propositionem fundamentalem habet hoc divine providentie ratio quod bonum humanum per angelos procuretur quia angeli secundum suam naturam medii sunt inter deum et homines. Habet autem hoc divine providentie ratio quod inferiorum bonum per superiora procuret. 2o ponitur hec distinctio. Bonum hominis dupliciter procuratur per divinam providentiam uno modo directe vel ex intentione a primis procurantis dum promovetur et inducitur ad bonum et retrahitur a malo. Alio modo indirecte dum scilicet aliquis exercetur per impugnationem contrarii et ideo est indirecte vel non ex intentione procurantis directe. Ponuntur consequenter due propositiones. Decenter procuratur bonum hominis per angelos bonos directe. Quod procuratur bonum hominis per angelos patet ex prima propositione. Et quod directe